Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 299
Quelle:
Copyright:

teriorem; marginem vero extimum miniata Patrum nomina occupent, e quorum sententiis Expositio coaluit. Praefaminis initium est: *Principia rerum requirenda sunt prius, ut earum notitia plenior possit haberi.* Totum Opus exit: *Gratia id est purgatio peccatorum et alia dei munera sit cum omnibus uobis amen.* Nulla in toto Codice *Lombardi* mentio, ne quidem in antiquissima Editione *s. l.* et *a. f.* ad cujus calcem solum legas: *Explicit glossa ordinaria ac magistralis super epistolas beati pauli apostoli* &c. Adscripsit tamen Exemplaris nostri fronti Miniator: *Petri lombardi alias magister sententiarum dicti glosa ordinaria* &c. Vide tamen, ne cum *Walafridiana* confundas.

CXCVIII.

U. 290 Codex chartaceus lat. Sec. XIV. Folior. 260. f. per duas columnas nitide exaratus, rubricis decorus, et olim, ut Theca anterior loquitur, *ex testamento cuiusdam Presbiteri oblatus domui collegij ducalis per M. Paulum de Mellico theologie professorem et decanum Ecclesie s. stephani Wienne* continet, quemadmodum e calce transfero, *Dicta petri Lambardi super epistolas pauli.* In vetusta Editione *s. l.* et *a. f.* inscribuntur: *Glossa ordinaria;* in *Parisina* vero 1547. 8. *Collectanea in omnes D. Pauli Epistolas.* Prologus incipit: *Principia rerum requirenda sunt prius, vt earum noticia plenior possit baberi* &c. Commentarius vero in *Ep. ad Rom.* ita: *Paulus seruus — qui sunt Rome, hucusque enim pendet litera vt perficiatur sententia, et subintelligitur, mandat vel scribit.* &c. *Augustino, Hieronymo* et *Ambrosio* plurimum usum fuisse liquet nostrum. Ad calcem: *et alia dei munera sint cum omnibus vobis. amen. Expliciunt* (ut supra) *sub anno domini Millesimo tricentesimo septuagesimo octauo sequenti die post festum sancti Michelis.*

CXCIX.

Codex chartaceus lat. Sec. XIV. R. 491 Folior. 182. f. per duas columnas nitide exaratus, rubricis distinctus et quondam *Benedicti* cujusdam *de Bnossa* continet idem Opus, sed hoc rubro: *Incipit Glosa ordinaria magistri sententiarum Petri Lombardi super Epistolas Pauli doctoris gencium.* Cetera, ut supra, et alias saepius hoc *Vol.* Verum in Expositione v. 17. c. 1. *ad Galatas* Codex deficit.

CC.

Codex chartaceus lat. Sec. XIV. R. 28 Folior. 203. f. per duas columnas currente calamo exaratus et minio distinctus, est, ut e calce praeoccupo, *Glossa ordinaria magistri petri Lombardi super epistolas beati pauli Apostoli Reportata wienne per stephanum scolarem de chötzze* (Kitsee?) *Anno domini M° CCC° LXIX°. finita proxima sexta feria post festum sancti Michabelis Archangeli.* Pertingit vero ab Epi-